



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CCCV. De Quadam traditione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

audacter intrantes dictum territorium, interfecerunt multos homines & ceperunt, incendio & rapinâ multipliciter devastantes. Et dum exirent terram, videntes infideles paratos ad bellum, omnes captivos homines & quicquid de spolio vitam habuit extraxerunt. Mansto autem (b) Masio & Sudargus & alii Nobiles, videntes eorum consumptuosam audaciam, admirati sunt ultra modum, & dum vellet eos in bello aggredi Mansto prædictus vir sapiens & experientiâ doctus disvasit, asserens sine dubio fratres insidias posuisse, & sic à persecutione fratrum cessaverunt. Postea Lethovvini quæsiverunt, quis fuerit Capitaneus dicti exercitus quibus responsum fuit, quod Commendator de Brandenburg homo juvenis & virilis: At ille: Dicatis ergo ei quod nunquam veniet ad ætatem debitam, si sic præsumptuosè nobis præsentibus cum tam paucis pugnatoribus nostras terras voluerit depraedare.

## ANIMADVERSIONES.

(a) XL. Brüder, habet Chron. Germ. antiq. informa 4. Sed Jeroschinus itidem ut Dusburgius. nullum habet determinatum numerum.

(b) Masio legit Striykovvs: Jeroschinus Masye.

## CAP. CCCV.

De

*Quadam traditione.*

**H**OC tēpore quidam Lethovvinus, qui Camerarius fuerat Regis Lethovvinorum captus detinebatur in Castro Balga, qui sub poena capitis sui se obligavit, se Castrum Gartham tradere in manus fratrum, si à vinculis solveretur. Cui fratres credentes statuto modo & tempore, quo hæc fieri possent, ipsum abire libere promiserunt. Sed dum veniret ad Regem de his omnibus præmuniit eum. Fr. Henricus de Plotzke Commenda-

dator magnus hujus occultæ traditionis nescius cum multis fratribus & V. millibus pugnatorum profectus est, & dum appropinquaret Castro Garthe, de exploratoribus Regis virum unum senem ceperunt, qui ut mortem evaderet, præmunivit fratres in hunc modum asserens, quod Rex cum magna potentia exercitus sui castra metatus esset circa Gartham, & sic ordinasset quod dum fratres cum media parte Exercitus sui transivissent fluvium Memelæ, ipse cum suis deberet irruere, & ipsos trucidare, & postea aliam partem sequi. Quo audito fratres DEO, qui eos sic misericorditer à tam gravi periculo liberavit, gratias referenter in columnes ad propria sunt reversi.

## CAP. CCCVI.

De

*Vastatione territorii Salsenike.*

Eodem anno idem frater Henricus Commendator Magnus & ECL. fratres cum valido Exercitu & duobus millibus peditum direxerunt viam suam versus Lethovviam & territorium dictum Salsenikam ubi nunquam visus fuit Exercitus Christianorum, & dum appropinquarent Castro Garthe, ceperunt IV. viros exploratores Regis, & occisis tribus IV. interrogatus, dixit: quod de adventu fratrum nullus in terrâ Lethovviæ sciret & ad majorem securitatem addidit, quod eod. die quinquaginta viri essent venturi, qui pro venatione debebant facere indagines Regi suo quos cum fratres interfecissent transiverunt Memelam & relictis circa naves & sarcinos XII. fratribus & duobus millibus peditum intraverunt dictum territorium in die (a) Pootessi & Martiniani vastantes undique per incendium & rapinam & exustis etiam tribus Castris ibi pernoctabant, secuti præter occisos quorum numerum novit Deus solus, fratres cum maxima præda & septingentis captis hominibus recesserunt.